



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciæ

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Bergomatia. In Bergonum Jul. Cæs. Scaliger.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

BERGOMATIA.

IN PALATIO CAPITANEI.

Hic locus odit, amat, punit, conservat, honorat,
Nequit em, pacem, crimina, jura, probos.



BERGOMATIA.

IN BERGOMUM JUL. CÆS.
SCALIGER.

In genium, corpus, mores, obtutus, amictus,
Tecta, cibus, gressus, guttura, sermo, sonus:
Omnia crassa modis insignibus, omnia dura:
Sic, valeant silices ut superare suos.
Ista domi: sed vicinus si aspergat acetum;
Artibus atq; dolis vincitur ipse suis.

INSCRIPTIONES

BERGOMENSES.

IN FORO.

Bergomum urbs vetustiss. An. ante S. N. 1804. à Cidno
Liguris Hetruscorum regis F. exstructa: aliquando in li-
bertate, aliquando sub Romano, Cæsarum, Regum, ac
Ducum imperio, vario eventu jactata: sub sanctissima D.
Marci alarum umbra, tandem diuturnæ pacis ocio frui-
tur: & feliciter quiescit.

IBIDE M.

Antonia civis Bergomi virgo, non minus animi quam
corporis pulchritudine pollens: cum ab N. N. violentum
in se stuprum parari videret: mortem pro conservanda
pudicitia vilipendens, gladio violatoris erepto: intrepidi-
um sibi pectus transfodiens, singulari castitatis exem-
plu urbem hanc perpetuo illustravit.

IBR.

IBIDE M.

Albericus de Roxiate. Qui qualis fuerit, ejus scripta venerandæ ubique authoritatis, & universa Juriscons. Collegia attestantur. Omni fere, sed præcipue legalis scientiæ genere toto orbe celeberrimus: urbem istam summæ doctrinæ, summiq[ue] ingenii virorum genitricem esse docuit. 1555.

IBIDE M.

Bartholomæus Collio Gallos Boschum in Alexandriano agro obsidentes, ingenti prælio vincit, castris exuit, & Reinaldum Brisnensem hostium ducem capit.

*Alcides unum, geminos gerit iste leoneis.
Unde hoc? ille feras vicit, at iste duceis.*

ALIUD.

D. O. M. Bartholomæus Coleonius de Andegavia virtute immortalitatem adeptus: usq[ue] adeo in re militari fuit illustris, ut non modò tum viventium gloriam longè excellerit: sed & posteris spem eum imitandi ademerit. Multoties enim à diversis Principibus, deincepsq[ue]; ab illustriß. Venetorum Senatu accepto imperio, tandem totius Christianorum exercitus, sub Paulo II. P. M. delectus fuit Imperator. Cujus acies 14. annis ab ejus obitu, solo jam defuncti imperatoris, tanquam vivi nomine militantes, jussa cujuscunque alterius contempserunt. Obiit 4. non. Novemb. Anno Domini 1475.

IN ADITU TEMPLI FRANCISCANI.

*Morti morte tua mortem moriendo dedisti,
Est tua mors mortis Christi medela mea.*

IN CAPUCINORUM.

Ubi amici? ubi divitiæ? finem tuum respice.

IN CANCELLARIA.

Lex prima consilii liberè loquendi, & patienter audiendi.

ALIBI.

Non lapidibus & picturis, sed inhabitantium virtutibus domus decoranda.

Mors honesta vitam etiam turpem exornat.



FAVENTINA.

IN FAVENTIAM JUL. CÆS.
SCALIGER.

Pars magna Italia duro discrimine rerum,
Clara Faventino milite sceptra capit.
Quod meruit decus invictis Helvetius armis:
Quod conducta ferox Brennus ad arma fuit:
Hoc sumus: hoc fortis meruit vis ignea dextra,
Arbitrio cuius numina regna parant.

AD S. ANTONIUM.

CAROLI TRAVERSARII

Canonici Favent.ach hujus Ecclesiae Rectoris: nec non Ro-
tæ Su. Palat. Apostolici causarum Notarii: & istius societa-
tis sacratiss. corporis Christi institut. ac benefactoris cor-
pus hic infrā jacet; anima verò ejus in pace requiescat.
Amen.

Vixit annos Lx. diversis & quamplurimis tribulatio-
nibus & persecutionibus semper laborans, tandem & ejus
vitæ finem imposuit, dicens in ultimo clarè & alte versus
infrā scriptos:

Inveni portum, spes & fortuna valete;
Nil mihi vobiscum; ludite nunc alios,

M. D. XXXXVIII.

ANTE HOSPITALE ORPHANORUM.

Quos parentum paupertas, pudore repulit, pietas hu-
jus loci recipit.

IX